



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. III. Ob ineptitudinem Concionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

Christus tali responso opponere possit. Joannes enim intentum. Simili ergo modo hortetur, ut ipsa etiam Clara soletur; sic enim tentationem hanc omnes suas vires amissuram.

§. III.

Tentatio III. ob ineptitudinem concionis.

CLV. **B**lastus vir Nobilis & Doctus magni quidem verbum divinum faciebat, sed quia Parochus sui, hominis non admodum docti & facundi Conciones ei tum ob simplicitatem, tum ob alia vitia valde displicebant, statuit tandem, tamdiu non frequentare concionem, donec alius Concionator substitueretur, quod ipsum tamen suum decretum Patri suo Spirituali aperuit, & num ipse quoque id approbaret, quaesivit. Quæritur, quid eidem respondendum sit?

CLVI. Primò cum talium hominum præsentia concionibus plerumque valde ad ædificationem publicam serviat, omnino ei suadendum esse, ut vel hoc titulo concionem frequentet, magnamque operam peritium fecisse se arbitretur, si suo exemplo alios ad conciones audiendas impellat, & fructus ex illis referent se quoque participem efficiat.

CLVII. Secundò eidem ostendat, quanto magis semper DEO placuerit, & etiamnum placeat humilitas, quâ quis se alteri propter DEUM subjicit, & proponit; quàm præclaram proinde habeat ipse occasio heroicam, actum humilitatis exercendi, judicium se ipsum abnegans, Hominem, ut ipse arbitratur, parum doctum

doctum, doctior forsan ipse patienter audiat, & ab eo in rebus sacris instrui se finat.

CLVIII. Tertio eidem in memoriam revocet, quàm frequenter contigerit, ut aliqui per unicam sententiam in concione auditam quandoque fuerint conversi, atque ad summam vitæ sanctitatem pervenerint, etsi eo tempore id minimè speraverint; quàmque adeò & ipse libenter concionem etiam indocti hominis audire debeat, cum nesciat, an non DEUS illum tanquam instrumentum elegerit, quo uti velit, ad ipsum efficaciter convertendum, atque ad magnum sanctitatis gradum perducendum.

CLIX. Quarto pariter illi demonstret, quàm heroicarum virtutum exercendarum occasionem ipsi DEUS offerat, per ejusmodi concionum auditionem, nempe humilitatis, abnegationis, victoriæ sui, patientiæ, charitatis proximi per ædificationem, & exemplum bonum exercitæ, & similibus, quæ omnes sanè suadent, optimè collocatum esse illud tempus auditæ concionis, etiamsi nullum alium doctrinæ fructum referret.

§. IV.

Tentatio IV. ob malam vitam Concionatoris.

CLX. **A** Charius Civis fatetur quidem optimas esse, utilissimâsque Conciones, quas Parochus suus ad populum instituit, sed ab ijs neutiquam se permoveri, eò quòd dictus Parochus ea, quæ dicit, ipse non observet, sed pessimam, & scandalosam vitam ducat. Itaque pariter statuit, omnino à concionibus abstinere.